

Hermann Lembke

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hermannus Lembke/ I.U.D. & Cod. Professor. Academiae Cives Ab abominandis & execrandis Bachanaliorum Feriis, Et ab enormi huius temporis luxuria Serio dehortatur. Memoria Jesu crucifixi, crucifigat in nobis omne peccatum. Anno M. DC. LV.

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73493971X>

Druck Freier  Zugang



R. U. Progr. 165376

Hermann Lemke

A. Bueschanalis dehortatur.



PROGRAMMA

qvo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HERMANNUS Sembse /

J. U. D. & Cod. Professor.

ACADEMIAE CIVES

Ab abominandis & execrandis

BACHANA-
LIORUM FERIIS,

Et ab enormi hujus temporis luxuriâ
Seriò dehortatur.

Memoria JESU crucifixi, cruci-
figat in nobis omne peccatum.

ANNO M. DC. LV.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad, Typogr.

Rh. Progr. 4655



Hoc ipsò tempore, Sancta EccLE-
SIA, nihil aliud in mentem nobis revo-
cat, quàm amaram passionem & mor-
tem crudelissimam Salvatoris nostri
JESU CHRISTI. Hoc ipsò tempore,
exhibet oculis mentis nostræ CHRISTUM, qui ut
agnus illibatus, suò purissimo sanguine, crucem suam
imbuit, eodemq; gravissima nostra peccata eluit &
absterfit. Exhibet Redemptorem generis nòstri, ad
cujus atrocissima supplicia, cœlum ipsum horrebat, &
in nubem cogebatur, ad quam terra trepidabat & fran-
gebatur; ad quam petræ durissimæ scindebantur, &
dissiliebant; omniaq; elementa sentiebant tantum
flagitium & clamabant. Exhibet Nobis Ecclesia Or-
thodoxa, Liberatorem hominum, uberrimum vitæ
perpetuò duraturæ Fontem, Splendorem Patris cœ-
lestis; omni crudelissimorum tormentorum genere,
prò omnium humani generis delictorum expiatione,
in cruce enecatam. Cujus tanquàm Supremi cœli &
terræ Domini mortem, nè Sol conspiceret, horrendâ
caligine totum terrarum Orbem involvit, & tanquam
proscriptus tantò Judeorum scelere, ex mundòq;
relegatus, nihil ipsi præter tenebras reliquit. At quid
taliam curant his diebus homines perversissimi. Qui
postpositâ piâ & religiosâ passionis & mortis CHRIS-
TI commemoratione, totos semet, in luxum, in
comotationes, in saltus, in lusus impudentissimos,
ac in plura alia enormia facinora resolvunt; qui ex
suò pectore CHRISTUM excludentes, illud ipsum
suò

suo sceleratissimo BACHO mancipant; & flocci-
pendentes, Ecclesiæ Sacræ ergâ clementissimum sa-
lutis humanæ Reparatorem devotionem, putidissi-
mi sui BACHI, vel satius Diaboli, ex omnium scele-
rum colluvione concreti Férias, potando, saliendo,
ludendo celebrant, At quanta per DEUM immor-
talem stulticia? quanta dementia est horum impiis-
simorum mortalium? Quid enim in primis ebrietas
est aliud, quàm isti profligatæ turpitudinis porci planè
immerfi sunt, quid inquam aliud est, quàm, juxta SE-
NECAM Ep. 8 *insania voluntaria*; quæ excœcat homi-
num horum sordidissimorum sensus, & bestias ex
hominibus facit, ut meritò de illis id Psalmi dici pos-
sit. *Oculos habent & non vident, aures habent & non au-
diunt, pedes habent & non ambulant*, & quidem suffra-
gante nobis D. BASILIO, qui homil. in Ebrietatem ait,
*Quid queso sunt ebrii aliud, quàm gentium idola? oculos
habent, & non vident &c.* Quos (dum præter naturæ
appetitum, scœdisimè semet hoc tempore ingurgi-
tant) quis queso non stultiores asino & cane affirma-
verit? præcipuè si D. CHRISOSTOMUM homil. 71.
ad populū ita loquentem, legerit? *Quantò melior ebrio-
sis est asinus & canis? nam quodlibet horum animalium, &
omnium aliorum, si sit opus bibere, necessitatis terminum
novit, nec ultrà quod est opus progreditur: licet sint
infiniti qui cogant, in immoderantiam procedere, non
patitur. Vos ergo brutis deteriores estis.* Et dum asinus,
si in glacie semel lapsus conciderit, non faciliè ad eam
reducitur: Homines certè, vinò & cervisiâ quoti-
diè immadescentes, ad ebrietatem, ad ingurgitatio-

nem toties redeunt, etiamsi in tot morbos, in tot infirmitates procidant; etiamsi amentiam rabiemq; belluinam contrahant; etiamsi ipsam rationem, mentisq; rectæ officia, sub tantâ temulentia prostituunt ac deperdant. Sed quid jam de obscœnis hujus temporis Saltatoribus dicemus? Illi me hercule! (exceptis honestis, quæ certò tempore, cum bonâ intentione, modestè & moderatè exercentur, choreis) illi inquam, ineptissimâ illâ, & ad omnem lasciviam directâ jactatione, illâ pedum temerariâ exultatione & complosione; illâ cursus & totius corporis, frustraneâ defatigatione, meram & futilem produnt vesaniam. Quâ superant Judeos, qui in Sinagogis suis inconcinnè clamare, exsilire, & complodere consueverunt. Quâ superant Turcas, qui in templis suis, extensis brachiis, & capite in dorsum retortò, tam diu se gyraunt, donec verrigine & lassitudine occupati, in terram, spumantes, & sudantes concidant. Superant eujusvis hominis stulticiâ, ipso ALPHONSO Aragonum Rege nobiscum sentiente; qui hoc solum, discriminis, inter impurum Saltatorem & stultum, esse asseveravit, *quod hic perpetuò stultus sit, ille autem tam diu, quam diu saltat*, addemus nos; (ut licitas & decentes choreas non condemnemus,) quam diu impurissimâ mente, putidissimæ Veneri ac libidini mancipatâ saltat. Quid verò de perversissimis lusoribus hujus temporis proferemus? O, Quid quæso stultius? quid deplorabilius hisce mortalibus reperiri potest? qui inhonestò lusu, preciosissimum dilapidan-

tes tempus, nō aliter, ac continuæ vicissitudini obno-
xialuna mutantur; qui instar chamaleontis, tā varios
colores assumentis, nunc lætari nunc tristari, nunc
præsumptione extolli, nunc desperatione & pusilla-
nimitate dejici; nunc quasi in rabiem verti; nunc lu-
sum ipsum execrari, sibi ipsi maledicere, & quod hor-
rendissimum; DEUM ipsum auctorem boni univer-
si, impiissimō ac sacrilego ore, blasphemare non eru-
bescunt. Ostultissimi mortales, qui, cum potuissent,
cum maximō fructu, cum æternā animæ salute, piis-
simæ CHRISTI JESU passioni & morti vacare; &
substantiam suam tot laboribus, difficultatibusq; par-
tam, fragili fortunæ credunt; & animam suam, quam
supremum Numen sempiternæ beatitudini destina-
vit, æternæ damnationis periculo exponunt. Sed om-
nes hos, tam potatores, quam saltatores, & lusores,
quavis betâ insipidiores; omnes hos, dignos, qui por-
cum immolent existimamus, qui novissima suarum,
stultitiarum prævidere nequeunt. Nam (ut vos in pri-
mis potatores, qui animam vestram Bacho tradidistis
alloquar) putidissimas vestras hodiernas compotati-
ones, tremenda illa ac infinita, in Luciferi tabernâ, se-
quetur compotatio. *Ubi fel Draconum, erit vinum ve-
strum. Ubi ignis & sulphur & spiritus procellarum, erit
pars calici vestri, & si hic ad fundum bibitis; certè ibi-
dem, sinè fundō, in æternum potabitis, uti Psalmogra-
phus inquit, Psalm 74. Veram tamen sex ejus non est exi-
nanita.* Et si hic potantes hoc sanctissimō tempore,
in societatem maledictam conjuratis; ibi profectō in
sempit-

sempiternum, & blasphemis, maledictis, execrationibus plenum consortium conjurare inviti, debent; si quoq; hic januam, respondere poculis detrectanti, occludere soletis; & ibi obseratam à Lucifero januam, donec immensa ebibatur æternitas pœnarum, experiemini: Quid jam vos libidinosi, lasciviq; saltatores? terribilem choream, ab *aquis nivium, ad colorem nivium* (ut cum Jobo C. 24. loquamur) *transcuntes*, ducetis; ibidemq; inter teterrimos illos damnatos, ac de cœlò fulminatos Diabolos, in immensam æternitatem, non aliam musicam, nisi *væ, væ, væ*, nisi lamenta, nisi rugitus leonum, nisi latratus canum, & ululatus luporum audietis, ipsiq; eosdem edetis, Quid deniq; vos Lusores, qui tam miserè, irrevocabile, & nullis redimendum thesauris tempus, his bachanaliorum feriis perditis? ludetis illum ludum, qui ad infernū ducit, & nunquam ad terminum inferni pervenietis. Ibi enim erit vobis (ut cum D. GREGORIO 9. moral cap 48. loquamur) *mors sine morte, Finis sine fine; quia ibi mors vivet, & finis semper incipiet*. Ibi subindè novi & diversi, vobis, sed planè intolerabiles proponentur ludis; ibi temporis carissimi fures, flagellis & scorpionibus cædemini; ibi vermem, qui nunquam morietur, perpetuò vos rodentem experiemini; ibi atrocissimis verberibus, à Divinæ justitiæ Ministris & executoribus, quolibet oculi ictu tundemini. At quam diu durabunt ictus illi? quàm diu ipse DEUS. O Æternitas, quàm prolixa es! Et hæc est misera, infelix conditio stultissimorum horum hominum; qui hodiernò tempore; (quò pietatis & religionis christiænæ cultores,

men-



mentem suam, quasi purissimum speculum, nullis
crapulæ, impudentiæ, luxuriæ sordibus infuscatum,
CHRISTO passo & crucifixo prætendunt) qui nil di-
vinum spirantes, semet in inverecondos lusus &
saltus profundunt; qui projectò veri DEI cultu & ti-
more, nil nisi meræ ventris ingluvie student; & exutâ
non tantum christianâ, sed & humanâ mente, in ipsas
bestias & pecudes, spurcissimâ vitâ suâ, & moribus
degenerant. A quorum maledictò consortiò, velut
ab ipsâ contagione, fuge **STUDIOSA JUVENTUS;**
& quæ Te semel **CHRISTO JESU,** in Baptismo
devovisti; quæ in christianas ac piissimas sanctiones
semel consensisti; quæ Diabolo, humani generis ho-
sti, malorum omnium callidissimo architecto renun-
ciasti, detestanda Bachi, vel satius Diaboli Festa exe-
crare; Abstine à clamoribus, hisce diebus; abstine
ab helluationibus; Fuge per **DEUM** monemus,
scurrilitates, nocturnas discursationes, ferinas di-
gladiationes; cyclopicas vociferationes. *Abiice
opera tenebrarum, & indue arma lucis; sicut in die honestè
ambula, non in commestationibus, & ebrietatibus, non in
cubilibus & impudicitis, non in contentione & emulatione.
Sed indue **DOMINUM JESUM CHRISTUM,**
& carnis curam nè facito in desideriis. Perpende illud
Augustini, *Maledictus, qui florem juventutis diabolo, fæ-
ces senectutis **DEO** consecrat.* Sequestrate ab illis, qui
fœdissimâ Bachi Orgia, in honorem Numinis sui-
VENTRIS, gulâ, luxuriâ, aliisq; belluinis volupta-
tibus celebrant. Et conjunge Te illis, qui se toti ad
modesti*

modestiam, ad sobrietatem, temperantiam, aliasq;
Virtutes, tuum statum, tuam aetatem, exornantes,
componunt; qui fluxas has & lubricas mundi hujus
delicias ac illecebras despiciatui ducentes, ab omni
improbâ cupiditate puri & sicci, ad conjectam uni-
cam ignis divini scinillam, toti exardent; & sibi, non
alium nisi CHRISTUM JESUM, pro nobis passum
& crucifixum, scopum his temporibus proponentes,
de hoc noctes diesq; cogitant; hujus vitam, passio-
nem, mortem, gloriam, animò continenter evol-
vunt. Secus si feceris; DEI inprimis, judicis Seve-
rissimi pœnas non effugies. qui ut omnia intuetur, &
cœlesti suò oculo conspicit facinora vel abstrusissi-
ma; ita acerrimus est vindex culparum; & quanquam
aliquandò lentò gradu ad ultionem procedat, tardi-
tatem tamen, supplicii gravitate compensat. Quod
autem Magistratum concernit; ille quoq; in hisce
terris, vices ipsius DEI gerens, severè in Tuam abomi-
nandam insolentiam, in tuam nequitiam, vitamq;
impuram animadvertet; infringet deniq; utcunq;
poterit, improbitatem tuam, & malefactis tuis, justis-
sima supplicia decernet. Det DEUS nobis omnibus, &
oculos videntes, & aures audientes; Det Spiritum
cognitionis ac sapientiæ, ut quæ ad salutem nostram
facere videntur cognoscamus, & in robore Salvatoris
nostri, ex intimò corde quæramus. P. P. Rostohii

sub Sigillo Rectoratus nostri, Dominicâ

Quinquagesimæ, Anno

1655.

78(9)90

mentem suam, quasi purissimum
 crapulae, impudentiae, luxuriae for
 CHRISTO passo & crucifixo pra
 vinum spirantes, semet in inve
 saltus profundunt; qui projecto
 more, nil nisi meræ ventris ingluvi
 non tantum christianâ, sed & huma
 bestias & pecudes, spurcissimâ vi
 degenerant. A quorum maledictio
 ab ipsâ contagione, fuge STUDIO
 & quæ Te semel CHRISTO J
 devovisti; quæ in christianas ac p
 semel consensisti; quæ Diabolo, t
 sti, malorum omnium callidissime
 ciasti, detestanda Bachi, vel satius
 crare; Abstine à clamoribus, hisc
 ab helluationibus; Fuge per D
 scurrilitates, nocturnas discursat
 gladiationes; cyclopicas vocifera
 opera tenebrarum, *Et indue arma luc
 ambula, non in commestationibus, Et
 cubilibus Et impudicitis, non in conten
 Sed indue DOMINUM JESU.
 Et carnis curam nè facito in desider
 Augustini, Maledictus, qui florem ju
 ces senectutis DEO consecrat. Sequi
 foedissimâ Bachi Orgia, in hono
 VENTRIS, gulâ, luxuriâ, aliisq;
 tibus celebrant. Et conjunge Te*

, nullis
 scatum,
 ui nil di
 lusus &
 altu & ri
 & exutâ
 in ipsas
 moribus
 , velut
 ENTUS;
 baptismo
 nctiones
 neris ho
 o renun
 esta exe
 abstine
 onemus,
 rinas di
 Abiice
 lic honestè
 s, non in
 mulatione.
 STUM,
 nde illud
 diabolo, fo
 illis, qui
 minis sui
 volupta
 se toti ad
 modesti

